

veritatem eandemque religionis regulam reduceretur et cultum. Quod et in eo loco monstrat, in quo et de confirmandis fratribus et de pascendis dominicis ovibus praecptum a domino Jesu Christo legitur ei datum. Ex hac utique potestate, quae ad b. Petrum ex dominica traditione provenit, sacrosancta Romana ecclesia, quae per dominum Jesum Christum ab eodem b. Petro instituta est et fundata, supra universas ecclesias auctoritatem obtinuit, ut ubique ratum esset ac solidum, quod ipsius providentia statuisset. Quod et ab universis ecclesiis per orbem terrarum usque diffusis receptum est et servatum, ita ut per eam et distributio facta sit dignitatum, et indictum Christi fidelibus et diligenter ordinatum, quod ad cultum pertinere visum est pietatis. Ex hac siquidem data b. Petro a domino potestate ipse ac successores ipsius per diversa mundi loca constituerunt episcopos et dignitates per provincias diviserunt.¹ Haec illi jam dicti tres pontifices, perspicue docentes non solum materiam assignari a pontificibus reliquis episcopis, sed ipsas dignitates atque adeo episcopatus per eosdem distribui in universam ecclesiam.

81. Leo nonus ad Michaelem patriarcham Constantinopolitanum: „Romanae ecclesiae facitis praejudicium, de qua nec vobis nec cuilibet mortalium licet facere judicium beatissimo et apostolico pontifice Silvestro divinitus decernente, spiritualique ejus filio Constantino, religiosissimo Augusto, cum universa synodo Nicaena approbante ac subscribente, ut summa sedes a nemine judicetur inviolabiliter et inconcusse sibi conservato illo privilegio, quod idem princeps quarto baptismatis sui die devotus contulit pontifici Romano, scilicet ut in toto orbe sacerdotes ita hunc caput habeant, sicut omnes judices regem. Quorum semper omni mundo venerandam sententiam sicut veraciter divina inspiratione promulgatam amplexae reliquae universales synodi, id est, Constantinopolitana prima consensu pii Augusti et religiosi, majoris Theodosii, Ephesina prima sub juniore Theodosio filio Arcadii, Chalcedo-

¹ Epistola 90. (Jaffé n. 10114 a). Migne, P. L. 204, 1385.

nensis sub imperio divae memoriae Marciani, secunda Constantinopolitana in praesentia Justiniani, tertia Constantinopolitana rogatu et consensu junioris Constantini, unanimi voluntate concordique verbo et scripto confirmare, sanctam Romanam et apostolicam sedem post dominum Jesum caput esse omnium ecclesiarum Dei; et hoc debere credi, confiteri et scribi ab omnibus veneratoribus Nicaeni concilii, cujus statutorum usque ad unum iota contemptoribus districtum anathema cautum est a quinque praefatis et cunctis sanctorum patrum synodis subsequentibus.¹ Haec Leo, docens jurisdictionem a pontifice emanare in alios episcopos sicut a rege in judices, et sicut a capite in reliqua membra derivatur.

Paschalis episcopo Panormitano scribens, ut habetur in capite Significasti De electione et electi potestate: „Significasti reges et regni majores admiratione permotos, quod pallium tibi ab apocrisiariis nostris tali conditione oblatum fuerit: si sacramentum, quod a nobis scriptum detulerant, exhiberes;“ et infra: „Mirentur in hac causa dominum nostrum Jesum Christum, qui quum ovium suarum curam Petro committeret, conditionem posuit dicens: Si diligis me, pasce oves meas. Si conscientiarum factor et cognitor secretorum conditione hac usus est nec semel tantum, sed et secundo et usque ad contristationem, quanos sollicitudine oportet tantam ecclesiae praelationem imponere fratribus, quorum conscientias non videmus?“² Haec ibi. Pontificis igitur est et praelationem ipsam imponere fratribus; et proinde jurisdictione ab eo manat nec solam materiam fratribus assignat.

Nicolaus tertius eandem derivationem potestatis a Petro in alios episcopos asseverat verbis Leonis primi supra citatis.

Ultra praedictos patres, qui diserte asserunt jurisdictionem et reliquam potestatem episcopalem a summo pontifice aliis communicari, sunt alii quamplures qui

¹ Epistola 100. n. 10. (Jaffé n. 3286). Migne, 143, 751.

² Epistola directa est ad archiepiscopum Spalatinum. (Jaffé n. 4851). Migne, P. L. 163, 428. Mansi XX, 984.

si sensum spectemus, idem asserunt, licet aliis verbis. Quales sunt in primis, qui affirmant episcopatus honorem et potestatem et nomen a Petro sumpsisse originem, quem dominus primum et unum episcopum creavit; quos jam supra citavimus, quum de ejus primatu supra apostolos ageremus. Quum enim illi episcopi qui a Petro constituti sunt non essent titulares sed jurisdictionem habentes, ut de Zachaeo et aliis a Petro institutis constat, planum etiam est, quod eis dedit jurisdictionem episcopatus.

82. Idem etiam probant praedicti patres asserentes, ecclesiam Romanam caput esse et originem matremque omnium ecclesiarum; nam quum in ecclesia Romana sacerdotes fuerint et plebs, ratione plebis non ei convenit hujusmodi dignitas, quatenus non est plebis in alios derivare potestatem vel ecclesiam propagare. Convenit igitur illi ratione sacerdotum, quorum multitudo quum ad unum summum sacerdotem et episcopum reducenda sit, ab illo procul dubio manat omnis eorum auctoritas et potestas, ac proinde omnis foecunditas ad alias ecclesias propagandas; quae quidem quum sine paelatis non sint, illi ergo ab ecclesia Romana, hoc est, a summo pontifice potestatem accipiunt. Quia enim summus pontifex consilio sui cleri, hoc est cardinalium, in agendis utitur, quae ab ipso fiunt, merito ab ecclesia Romana fieri dicuntur, hoc est ab ejusdem paelato cum suo clero.

83. Patres igitur, qui ecclesiam Romanam caput et matrem aliarum vocant, sunt qui sequuntur:

Cyprianus ad Cornelium: „Post ista adhuc insuper pseudoepiscopo sibi ab haereticis constituto navigare audient et ad Petri cathedram atque ecclesiam principalem, unde unitas sacerdotalis exorta est, a schismaticis et profanis litteras ferre nec cogitare eos esse Romanos, quorum fides apostolo praedicante laudata est, ad quos perfidia habere non possit accessum.“ Haec ille vocans Petri cathedram ecclesiam principalem, quae aliis principet et origo existat unitatis sacerdotalis; propter quod etiam ait, a Paulo commendatam fidem Romanorum; nec enim propter plebos Romanos hoc dictum est, quum errare possent a

fide, sed ob specialem Dei assistantiam cum Petri cathedra et ecclesia principali, ad quam perfidia habere non potest accessum.¹

Idem ad Cornelium: „Nos enim singulis navigantibus ne cum scandalo ullo navigarent rationem reddentes, scimus nos hortatos eos esse, ut ecclesiae catholicae matricem et radicem agnoscerent ac tenerent.“² Hoc ille.

Quem imitatus Augustinus explicans illa verba: *Pro patribus tuis nati sunt tibi filii* [Psalm. XLIV, 17] ait: „Quid est: *Pro patribus tuis nati sunt tibi filii?* Patres missi sunt apostoli, pro apostolis filii nati sunt tibi, constituti sunt episcopi. Hodie enim episcopi qui sunt per totum mundum, unde nati sunt? Ipsa ecclesia patres illos appellat, ipsa illos genuit et ipsa illos constituit in sedibus patrum.“³ Haec Augustinus, qui quum asserat ecclesiam episcopos genuisse et in sedibus patrum constituisse et nomen episcopi jurisdictionem et superintendentiam dicat, planum est apud Augustinum jurisdictionem ab ecclesia emanare et non immediate a Deo. Quum autem non ita emanet ab ecclesia, ut ab ipsa plebe et laicis oriatur, a paelatis igitur ecclesiae proficiscitur, quorum multitudo quum ad unum caput reducatur, Romanum nempe pontificem, secundum Augustinum et omnes patres ab illo tandem emanabit jurisdictione.

84. Anacletus ait: „Haec vero apostolica sedes caput et cardo (ut praefatum est) omnium ecclesiarum a domino et non ab aliis est constituta, et sicut cardine ostium regitur, sic hujus sanctae sedis auctoritate omnes ecclesiae domino disponente reguntur.“⁴

Et ante Anacletum Clemens ait: „In illis vero civitatibus, in quibus olim apud ethnicas archiflamines eorum atque primi legis doctores erant, episcoporum primates ponit vel patriarchas qui reliquorum episcoporum judicia et majora, quoties necesse foret, negotia in fide agitant et secundum Dei voluntatem, sicut constituerant sanctissimi apostoli ita ut nequis injuste periclitaretur, definirent; in illis autem civi-

¹ Epistola XII. ad s. Cornel. papam cap. 14; Migne, P. L. 3, 818 ss. (inter epistolam Cornelii papae).

² Epist. IV. ad s. Cornel. papam cap. 2; Migne, l. c. col. 710.

³ Enarratio in ps. XLIV. n. 32. Migne, P. L. 36, 513.

⁴ Pseudo-Isid. in ep. III. Anac. (Jaffé ed. II. n. 4).

tatibus, in quibus dudum apud praedictos erant archiflamines, quos tamen minores tenebant quam memoratos primates, archiepiscopos institui praecepit, qui non tamen primatum sed archiepiscoporum fruerentur nomine. Episcoporum quoque judicia, ut superius memoratum est, et majora ecclesiarum negotia, si ipsi reclamaverint, aut aliquem timorem, aut istos vel alios suspectos habuerint, ad jam dictos primates vel patriarchas, ne quis innocenter periret, transferri jussit. In singulis vero reliquis civitatibus singulos et non binos vel ternos vel plures episcopos constitui praecepit, qui non primatum aut archiepiscoporum aut metropolitanorum nomine, quia matres civitatum non tenent, sed episcoporum tantum vocabulo potirentur, quoniam nec inter ipsos apostolos par institutio fuit, sed unus omnibus praefuit. Hoc tamen providendum instituit, ne in villis aut castellis vel modicis civitatibus instuerentur episcopi, ne vile eorum nomen fieret.¹

Hactenus ille, plane docens Petrum jussisse institutionem non solum patriarcharum et episcoporum, quos jurisdictionem commissam habere aliqui asserunt, sed etiam episcoporum, quos ordinariam habere confitentur. Ab illo ergo et a suis successoribus prodit omnis jurisdiction.

Idem: „Ecclesiis per congrua et utilia facite loca, quas divinis precibus sacrare oportet, et in singulis sacerdotes divinis orationibus Deo dicatos ponи, quos ab omnibus venerari oportet, et non a quoquam gravari.“²

Haec Clemens cuius jussu ecclesiis singulis singuli praeficiuntur sacerdotes, quos quum ait consecrationibus Deo dedicari ab omnibus venerandos, constat illos jurisdictionem habuisse super eos, qui in ecclesiam cui praeponuntur congregantur, quos sacerdotes ipsos venerari jubet; innuit etiam consecrationes sacerdotum fieri ut Deo dicentur, non autem ut in illis conferatur ipsis jurisdiction, quae potius ex injunctione confertur sive ex pracepto, quo populo praecipitur ut eos veneretur.

85. Lucius papa item ait: „Urbes et loca quibus primates praesidere debent, non a modernis, sed etiam multis ante adventum Christi sunt statutae temporibus, quorum primates etiam gentiles pro majoribus negotiis appellabant; in ipsis vero urbibus post Christi adventum apostolos appellabant.“

¹ Pseudo-Isid. in ep. I. Clementis ad Jacobum cap. 28 s. (Jaffé ed. II. n. 10). Verba autem composita sunt ex variis conciliis et epistolis sum. pontificum.

² Pseudo-Isid. in ep. II. Clementis ad Jacobum. (Jaffé ed. II. n. 10).

stoli et eorum successores patriarchas vel primates posuerunt, ad quos episcoporum negotia (salva in omnibus apostolica auctoritate) et majores causae post apostolicam sedem sunt referenda.¹

Haec ille, cujus verba habentur in epistola secunda Stephani papae de accusationibus sacerdotum. In quibus notandum quod apostoli et eorum successores posuerunt primates; ergo ab illis jurisdiction emanavit. Sed quum primates non possit quivis alias primas instituere vel episcopus, per successores apostolorum qui primates crearunt, non debemus intelligere cujusvis apostoli successores, sed tantum Petri; nec enim episcopus Ephesinus qui Joanni succedit, aut Hierosolymitanus qui b. Jacobo, creare novos patriarchas potuerunt.

Ad haec Marcellus ad episcopos Antiochenae provinciae ait: „Si vestra vero (sedes) Antiochena quae olim prima erat, Romanae cessit sedi, nulla est quae ejus non subjecta sit ditioni, ad quam omnes quasi ad caput juxta apostolorum eorumque successorum sanctiones episcopi qui voluerint vel quibus necesse fuerit, suffugere eamque appellare debent, ut inde accipient tuitionem et liberationem, unde acceperunt informationem atque consecrationem.“²

Haec ille docens ecclesiam Romanam ideo habere jurisdictionem super omnes ecclesiis, quia omnes ab ea quasi capite informationem et consecrationem receperint, ut ejusdem sit regere et tueri alias ecclesiis cuius fuerit instituere. Ipsa igitur instituit episcopos, de quorum appellatione ad ipsam hic agitur.

Dionysius papa ad Severinum episcopum: „Ecclesiis singulas singulis presbyteris dedimus, paroecias et coemeteria eis divisimus, et unicuique jus proprium habere statuimus, ita videlicet ut nullus alterius parochiae terras, terminos aut jus invadat; sed unusquisque suis terminis sit contentus et taliter ecclesiam et plebem sibi commissam custodiat, ut ante tribunal aeterni judicis ex omnibus sibi commissis rationem reddat et non judicium sed gloriam pro suis actibus percipiat.“³

Haec Dionysius, qui dum jam consecratis presbyteris super plebes dedit jus, manifestum est, ex ejus pracepto non ex consecratione manare jurisdictionem.

¹ Pseudo-Isid. in ep. II. Stephani (Jaffé ed. II. n. 130) Can. *Urbes*. 1. Dist. 80 in decr. Grat., qui canon Lucio papae tribuitur. Migne, P. L. 3, 997.

² Pseudo-Isid. in ep. I. Marelli (Jaffé ed. II. n. 160).

³ Pseudo-Isid. in ep. II. Dionysii (Jaffé ed. II. n. 139) C. 13. q. 1. c. Ecclesiis 1 in decr. Grat. Migne, P. L. 5, 134.

Anicetus quoque papa ad episcopos Galliae: „Nulli archiepiscopi primates vocentur, nisi illi qui primas tenent civitates, quarum episcopos apostoli et successores apostolorum regulariter patriarchas et primates esse constituerunt, nisi aliquod genus deinceps ad fidem convertatur, cui necesse sit propter multitudinem eorum primatem constitui.“¹

Haec ille, ex quibus habetur jurisdictionem ab apostolis et eorum successoribus produisse.

Ibidem paulo inferius subdit: „Si autem propter nimiam longinquitatem, aut temporis incommoditatem, aut itineris asperitatem grave ad hanc sedem ejus causam deferre fuerit, tunc ad ejus primatem causa deferatur et penes ipsum hujus s. sedis auctoritate judicetur.“

Haec ille. Auctoritas igitur primatis a sancta sede apostolica emanat.

86. Xistus ad universos episcopos: „Ab hac enim sancta sede a sanctis apostolis tueri, defendi et liberari episcopi jussi sunt, ut sicut eorum dispositione ordinante domino primitus sunt constituti, sic hujus sanctae sedis (cujus dispositioni eorum causas et judicia servaverunt) protectione futuris temporibus sint ab omnibus perversitatibus semper liberi.“²

Haec ille, docens dominum ordinasse, ut apostolorum dispositione episcopi constituerentur; ab apostolis ergo acceperunt jurisdictionem.

Melchiades etiam ad universos Hispaniae episcopos scribens ait: „Dei ordinatione taliter ordinatum esse credimus, ne omnes posteriorum cuncta sibi vindicarent, sed semper maiores causae, sicut sunt episcoporum, et potiorum curae negotiorum ad unam b. principis apostolorum Petri sedem confluerent, ut inde suscipiant finem judiciorum unde acceperant initium institutionum, ne quandoque a suo discrepant capite.“³

Haec ille.

Innocentius primus ad Decentium Eugubinum: „Quis nesciat aut non advertat, id quod a principe apostolorum Petro Romanae ecclesiae traditum est ac nunc usque custoditur, ab omnibus debere servari nec superduci aut introduci aliquid, quod auctoritatem non habeat aut aliunde

¹ Pseudo-Isid. in ep. Annicii ad universos Galliae episcopos (Jaffé ed. II. n. 57) Can. Nulli archiepiscopi 2. Dist. 99. in decr. Grat. Migne, P. Gr. 5, 1131.

² Pseudo-Isid. in ep. II. Sixti (Jaffé ed. II. n. 32). Migne, P. Gr. 5, 1079.

³ Pseudo-Isid. in ep. I. Melchiadis. (Jaffé ed. II. n. 171). Migne, P. L. 7. 1115.

accipere videatur exemplum? praesertim quum sit manifestum, in omnem Italiam, Gallias, Hispaniam, Africam atque Siciliam insulasque interjacentes, nullum instituisse ecclesias nisi eos quos venerabilis apostolus Petrus aut ejus successores constituerunt sacerdotes. Aut legant si in his provinciis alias apostolorum invenitur aut legitur docuisse: quod si non legunt, quia nusquam inveniunt, oportet eos hoc sequi quod ecclesia Romana custodit, a qua eos principium accepisse non dubium est, ne dum peregrinis assertionibus student, caput institutionum videantur omittere.“¹

Haec ille, docens imprimis unicam tantum et generalem auctoritatem, id est universos christianos obligantem, et eam esse sedis apostolicae, a qua et concilia generalia suam auctoritatem accipiunt. Docet praeterea, ultra hanc communem auctoritatem sedis apostolicae habere quandam peculiarem auctoritatem supra ecclesias quas fundarunt illi, qui a sede apostolica consecrati sunt et missi, quales sunt ecclesiae vicinae Romani patriarchatus, ut erat tempore Innocentii Italia, Gallia, Hispania, Africa et Sicilia et aliae circumiacentes insulae. Post Innocentium autem sunt inter has Germania conversa per Bonifacium, et Anglia per Augustinum, et Polonia. Harum enim ecclesiarum specialem curam habet Romanus pontifex, et illae specialem debent Romanae sedi obedientiam et reverentiam et in ritibus conformitatem, quam negantes et ab ea recedentes Deum offendunt.

87. Nicolaus etiam pontifex ad Mediolanenses: „Omnes, ait, sive patriarchii cuiuslibet apicem sive metropolon primatus, aut episcopatum cathedras vel ecclesiarum cuiuslibet ordinis dignitatem, instituit Romana ecclesia. Illam vero solus fundavit et supra petram fidei mox nascens erexit, qui b. Petro aeternae vitae clavigero terreni simul et coelestis imperii jura commisit. Non ergo quaelibet terrena sententia, sed illud Verbum per quod constructum est coelum et terra, per quod denique omnia

¹ (Jaffé n. 108). Migne, P. L. 20, 552. C. Quis nesciat 11. Dist. 11.

condita sunt elementa, Romanam fundavit ecclesiam. Illius certe privilegio fungitur, illius auctoritate fulcitur. Unde non dubium est, quia quisquis cuilibet ecclesiae jus suum detrahit, injustitiam facit; qui autem Romanae ecclesiae privilegium ab ipso summo omnium ecclesiarum capite traditum auferre conatur, hic procul dubio in haeresim labitur; et quum ille vocetur injustus, hic est procul dubio dicendus haereticus.¹ Haec ille, qui ubi ecclesiam Romanam dicit fundasse non solum vicinas ecclesias ut Innocentius primus, sed penitus omnes, intelligendus est quia tandem ab illa manavit omnis auctoritas, licet non immediate, sicut in vicinas ecclesias. Quod vero ait, conantem auferre privilegia Romanae ecclesiae non solum injustum, sed haereticum esse, de eo intelligendum est, qui non solum facto sed falso dogmate id auferre conatur; quia illud dogma contra divinum verbum est Christi, qui hoc privilegium Petro et successoribus contulit. Unde Leo Nonus ad Michaelen Constantinopolitanum patriarcham pulchre in hujusmodi homines ait: „Quisquis Romanae ecclesiae auctoritatem vel privilegia evanescere seu immixtuere nifit, non hic unius ecclesiae sed totius christianitatis subversionem et interitum machinatur.“²

Vigilius quoque ait: „Nulli vel tenuiter scienti vel pleniter sapienti dubium est, quod ecclesia Romana fundamentum et forma sit ecclesiarum, a qua omnes ecclesias principium sumpsisse nemo recte credentium ignorat.“ Haec ille, qui quum alias ecclesias principium asserat a Romana sumpsisse, procul dubio docet, ministros qui alias ecclesias fundarunt, a Romana ecclesia sumpsisse auctoritatem; ministri enim sunt ecclesiarum principia, dum illas per evangelium Christo regenerant.³

Leo praeterea IV. ad Carolum regem, ut refert Ivo Carnotensis: „Si fortasse, quod non credimus, apud vos inutiles judicamur, ecclesia tamen cui permittente domino

¹ Desumptus est ex epistola S. Petri Damiani ad Hildebrandum de conuento Mediolanensi a. 1059; Mansi 19, 888, Can. Omnes 1. dist. 22.

² Migne, P. L. 143, 767. (Jaffé n. 3286).

³ Pseudo-Isid. in ep. Vigilii ad Profuturum ep. Bracarensem (alias Eutherium) (Jaffé n. 589).

praesumus, non inutilis, sed caput principiumque omnium merito simul ab omnibus vocatur.“¹ Haec ille.

88. Leo etiam Nonus ad Michaelen Constantinopolitanum patriarcham: „Romanae ecclesiae sedes per Petrum super petram aedificata, nec hactenus defecit nec deficit in saecula, Christo ejus domino rogante pro ea, sicut ipse testatur sub ipsa passione sua: *Ego rogavi pro te, Petre, ut non deficiat fides tua, et tu aliquando conversus confirma fratres tuos.* Quo dicto demonstravit fidem fratrum vario defectu periclitandam, sed inconcussa et indeficiente fide Petri veluti firmae ancorae subsidio figendam, et in fundamento universalis ecclesiae confirmandam; quod nemo negat nisi qui evidenter haec ipsa verba veritatis impugnat; quia sicut cardine totum regitur ostium, ita a Petro et successoribus ejus totius ecclesiae disponitur emolumentum; et sicut cardo immobilis permanens dicit et reducit ostium, sic Petrus et sui successores liberum de omni ecclesia habent judicium, quum nemo debeat eorum dimovere statum, quia summa sedes a nemine judicatur. Unde clerici ejus cardinales dicuntur, cardini utique illi, quo caetera moventur, vicinus adhaerentes.“² Haec ille. Qui, dum ait ecclesiam Romanam fundamentum esse unitatis ecclesiae et cardinem caetera omnia moventem et per pontificem Romanum disponi emolumentum totius ecclesiae, et quum de omni ecclesia libere habere debeat judicium, procul dubio intelligit ab eo proficisci omnis ecclesiae potestatem; sine hoc enim nec movere omnia potuisset, nec omnis ecclesiae prefectus ab eo pendere nec de illa libere posset judicare.

Hadrianus ad Tarasium: „Cujus (beati Petri) sedes in omnem terrarum orbem primatum tenens refulget et caput omnium ecclesiarum Dei consistit; unde idem b. Petrus apostolus domini praecepto pascens ecclesiam nihil dissolutum dimisit, sed tenuit semper et retinet principatum, cui si adhaerere cupit vestra sanctitas et nostrae

¹ C. 16. q. 6. c. Si fortassis 6 (Jaffé n. 1995).

² Migne, P. L. 143, 765. (Jaffé n. 3286).

apostolicae sedi, quae est caput omnium ecclesiarum Dei ejusque sacram et orthodoxam formam incorrupte et incontaminata servare studet sicut orthodoxa et deicola existens, hoc primum sacrificium omnipotenti Deo offerat et vice mea ante piissimorum imperatorum vestigia procedat et terrible judicium Dei in conspectu eorum proponat, quatenus venerabiles iconas in antiquum statum restitui praecipient observantes traditiones hujus sacrosanctae Romanae ecclesiae.¹ Sic ille, ostendens ecclesiam Romanam caput esse omnium ecclesiarum ac proinde quasi caput in omnes ecclesias influere et quasi principem summum aliis ministris largiri potestatem.

89. Gregorius IX.: „Licet ratione delicti seu contractus aut domicilii sive rei, de qua contra possessorem causa movetur, quibus forum regulariter quis sortitur, episcopus vester apud apostolicam conventus non fuerit; quia tamen omnium ecclesiarum mater est eadem et magistra, rite compelli potuit ut ibi suis adversariis responderet.“² Ubi quia ecclesia Romana a Gregorio mater vocatur et magistra aliarum ecclesiarum, hoc ipso docetur alias ibi magisterium sumpsisse et auctoritatem; mater enim de sua substantia dat esse filii.

Leo X. in concilio Lateranensi: „Leo episcopus servus servorum Dei ad perpetuam rei memoriam sacro probante concilio. Dum intra mentis arcana revolvimus, et diligent consideratione pensamus operosa sollicitudinis studia continuosque labores pro divini nominis gloria, exaltatione catholicae fidei, ecclesiae unitate servanda et institutione ac salute fidelium animarum per coepiscopos eorumque superiores in diversis orbis partibus ad regimen suarum ecclesiarum a sede apostolica constitutos, nec non per fratres diversorum ordinum praesertim mendicantium indefesse et indesinenter impensos: tanta ex eorum in vinea domini fructuosis operibus et opportune ac laudabiliter

¹ Ex epistola Hadriani I ad Tarasium, quae recitabatur in act. II. Conc. Nicaeni II. (Jaffé n. 1883). Mansi XII. 1056.

² Cap. Licet 20. De foro competenti (I. 2.) (Potthast n. 9587).

gestis cordi nostro provenit satisfactio, ut iis quae ad pacem et quietem inter eos conservandam conducere cognoscimus, omni studio intendamus. Novimus enim episcopos ipsos in partem sollicitudinis nostrae assumptos fuisse, quorum honor et sublimitas, teste Ambrosio, nullis potest comparationibus adaequari.¹ Haec ille, docens apostolicam sedem episcopos constituisse, quod idem tribuit primitivae ecclesiae ratione ejusdem apostolicae sedis, dum in eadem sessione ait: „Primitiva illa ecclesia in angulari petra a salvatore nostro Jesu Christo fundata apostolorum praeconiis elata martyrumque sanguine consecrata et aucta, ubi primum juvante domino per orbem terrarum lacertos movere coepit provide attendens quantum oneris humeris impositum haberet, quot oves pascere, quot custodire, ad quot etiam remotissima loca oculos intendere oporteret, divino quadam consilio parochias instituit, dioeceses distinxit, episcopos creavit et metropolitanos praefecit, ut tamquam membra capiti obsequentia cuncta secundum ejus voluntatem salubriter in domino perageret et tamquam rivuli a perenni fonte, Romana ecclesia, derivantes ne angulum quidem dominici agri irrigatum dimitterent.“²

90. Sunt et doctores antiqui, qui eandem veritatem asserunt hoc ipso quod conferentes potestatem episcopi Romani cum aliorum episcoporum potestate ajunt, illum habere plenitudinem potestatis, alias vero vocatos esse in partem sollicitudinis non autem in plenitudinem potestatis. Ubi procul dubio per plenitudinem potestatis intelligent universam ecclesiasticam potestatem, quae in summo pontifice tamquam in capite residet; per partem vero sollicitudinis non nudam sollicitudinis partem, sed partem potestatis. Nam quia *qui praest, in sollicitudine praeesse debet*, ut ait Paulus [Rom. XII, 8], ipsam praelationem ne effarent episcopi, partem sollicitudinis voluerunt vocari, ita ut perinde sit eos in partem sollicitudinis vocatos, atque participare eos partem illius summae potestatis, per quam summis pontificibus convenit sollicitudo omnium ecclesiarum.

¹ Hardouin, Acta Conc. t. 9. col. 1832.

² Ibid. col. 1810.